



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 3. Vtrùm maritus, qui uxorem adulteram suspicatur, possit ei
occasionem offerre, ut in adulterio deprehensam corrigat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

ties in vita actum amoris Dei eliciendum, extra articulum mortis.

17. Ad quantum, quod adducitur ex autoritate D. Thomæ prolicita dilutione Baptismi usque ad articulum mortis, respondeo, D. Thomam eodem modo de Baptismo, ac de confessione sentire: atque ad eod ejus conclusio intelligenda est, juxta superius dicta ad secundum argumentum, nempe susceptio- nem Baptismi præcipue obligare in articulo mortis: non verò excludit obligationem ante hunc articulum. Nec congruè excludi potest, quia non solum Baptismus in voto, sed in receptus, vitæ Christianæ fundamentum est. Quapropter Cajetanus 3. part. quest. 68. artic. 3. §. Et quamvis, sic scripsit. * Dilatio tamen Baptismi usque ad mortis articulum licita non est: ut patet de consecrat. distinct. 4. cap. quando quis. * Cujus sententia est verissima: textus verò, quo utitur, rem non evincit, quia solum procedit de his, qui usque ad exitum vitæ suscipere Baptismum differunt, ut liberius peccent, spe Baptismi postea salvandi.

QVASTIO III.

Utrum maritus, qui uxorem adulteram suspicatur, possit ei occasionem offerre, ut in adulterio deprehensam corripat?

1. **P**ARTEM affirmativam tueretur Joannes Sanctus in Selectis, disp. 35. num. 12. qui universaliter asserit, * offerentem alicui occasionem ad peccandum, ut deprehensus in illo resipiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare: qualiter excusantur Custodes nemorum se abscondentes, ut evites ingrediantur liberè, & deprehensi caveant in futurum illuc redire. Illud enim non est cooperari ad peccatum, sed permittere unum committi, ut plura evitentur, ut tradunt Navarrus, Navarra, Corduba, Valentia, Molina, Manuel, Vega, & alii. * Et infra: * Eadem etiam ratione excusati parentes, & heros non auferentes, vel apponentes famulis, aut filiis occasionem furandi, cum eos ad furandum propensos norunt, ut sic in furto deprehensi resipiscant, censent Navarrus in Sum. Hispana, cap. 28. addit. ad num. 3. cap. 14. §. La dezima. Corduba in Summ. quest. 5. corollar. 4. Navarra lib. 3. de Restit. cap. 4. dub. ultimum. in nona edit. num. 104. * Hactenus Joannes Sanctus. Quem sequuntur Gallinus verb. Peccatum. Layman lib. 2. tractat. 3. cap. 13. num. 5. Gaspar Hurtado de Insit. disputat. 2. distinct. 3. §. Ratio prioris est. * Quia peccanti ex malitia (inquit) potest licitè tribui materia peccati, quæ aliàs sit indifferens. * Diana 3. part. tract. 5. Miscellan. resoluit. 18. ejus rationem reddit. * Quia id non est formaliter cooperari ad peccatum, sed materiam, & occasionem peccati subministrando, illud permittere. Quibus faciunt asserentes, non esse peccatum mortale, subministrare materiam indifferenter ea abusu. Petrus de Ledesma tom. 2. tractat. 27. dub. 4. & Cajetanus 2.2. quest. 147. artic. 4. in fine, aliquè plures ex hoc capite excusantes Tabernarios, & Capones cibaria ministrantes solutis jejunium. Quia * si omnino cœnaturi sunt, (ait Cajetanus) & ego invito eos ad mecum cœnandum, non invito eos nisi ad lo-

cum, & societatem cœnæ, & ministro illis cibos. Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod. * Ergo si uxor adulterata est, maritus occasionem offerens, verb. grat. solam relinquens, vel consulens, ut consanguineam visitet, non invitat nisi ad locum, & domum consanguineæ, ut adductis testibus possit de adulterio convincere, vel in adulterio deprehensam corrigere. In his ergo, juxta doctrinam Cajetani, peccatum aliquod non apparet. Cui favent Doctores asserentes, non peccare mortaliter, qui petunt aliquid indifferens, quo alter jam paratus est abusus, quia hæc videtur levis cooperatio ad peccatum. Sic nonnulli apud Bonacinam tom. 2. disputat. 2. de Peccatis, quest. 4. puncto 2. num. 21.

2. Et quod caput, est sententia expressa D. Thomæ q. 13. de malo, artic. 4. ad 19. ubi sic scribit. * Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius: sed tamen pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere. * Quid clarius?

§. I.

Animad-versio in Baronium.

3. **H**UNC D. Thomæ locum, etsi fideliter excerptum, enormiter tamen truncatum expostulat Baronius in opere contra Amadeum, disput. 3. sect. 2. §. 3. folio 298. sic illum impetens: * Sed hic solito enormiori fraude elegantissimum D. Thomæ locum ex quest. 3. de malo (13. voluit dicere) artic. 4. ad 19. corripit, truncatis verbis, quæ aperte sensum D. Thomæ interpretabantur, & fraudem Amadæi refellebant. * Et excerptis, quæ à nobis supra, subnectit: * Curtacuisse, quæ sequuntur, verba? Sic enim profertur Sanctus Doctor: Sicut si latro aliquem jugularet, & ad vitandum periculum, aliquis latroni thesaurum ostenderet. Vides ex D. Thoma non licere quamcumque occasionem, aut materiam peccandi præbere, sed tunc tantum, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio semoveret, permisis ejus arbitrio fortunæ bonis? *

4. His de Amadæo actum putat elegans Baronius, quasi exemplum, quo utitur D. Thomas, demontret, extra casum imminenti mortis, ad quam jam inimicus est accinctus, licitum non esse, ex quo cumque alio bono fine, materiam peccati illi præbere. Cæterum homo aperte fallitur: quia licet D. Thomas, claritatis gratia, in exemplum adhibuerit casum latronis jugulum minantis, cui ad vitandum mortis periculum, ostendi posse thesaurum diripiendum, in confesso est apud omnes: non tamen propterea existimavit, in hoc solo casu esse licitum materiam peccati proximo præbere. Quinimò eo exemplo, majoris claritatis gratia, utitur ad probandum, in aliis etiam casibus minoris momenti idem licitum fore.

5. Ad horum evidentiam, proponam argumentum, cui D. Thomas loco citato responderet, quod est decimum octavum, & decimum nonum his verbis objectum: * Ille, qui subministrat peccanti mortaliter, peccare videtur, sicut si quis mignaret arma furanti, aut interficere volenti: si ergo usurarius mortaliter peccat mutans pecuniam ad usuram: videtur, quod etiam illi, qui apud eos deponunt pecunias, mortaliter peccent. Sed dicendum, quod si absque necessi-

*Vera sententia aliquibus conclusioibus
exponitur.*

necessitate apud usurarium deponat suam pecuniam, mortaliter peccat: si vero ex necessitate, à peccato excusatur. Sed contra (inquit argument. 19.) necessitas non potest esse, nisi ad evitandum aliquod damnum temporale, sed pro nullo temporali damno vitando debemus consentire, aut materiam ministrare alterius peccato: ergo pro tali necessitate non excusantur prædicti à peccato mortali. * En argumentum, quod sibi obiicit D. Thomas, apertissime procedit de subministrante materiam peccato usuræ, quem excusari non posse à peccato, etiam si pecunia deponatur, ex necessitate offerentis, probare intendebat.

6. Huic ergo respondet D. Thomas ad decimum nonum, id negando: reddit quæ rationem verbis à nobis supra fideliter excerptis: * Quia licet pro nullo incommodo corporali vitando debeat homo consentire in peccatum alterius: sed tamen (attendit) pro aliquo incommodo vitando, potest homo licite uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere. * En Baroni, non solum in casu imminenti mortis, sed ad vitandum longè minoris momenti damnum, concedit expressè D. Thomas, licitum esse subministrare, & præbere materiam peccati, ut pecuniam usurario. In cuius confirmationem adducit exemplum latronis, aliquem jugulare tentantis, cui, secundum omnes, ad vitandum mortis periculum thesaurus diripiendus licite ostenditur: ut apertissimo hoc exemplo falsitatem convinceret principium, quo argumentum decimum nonum nitetur, ad negandum, licere deponere pecuniam apud usurarium, etiam si ex necessitate offerentis.

9. Ex quibus evincitur primò, exemplum latronis, quo Baroniis victoriam impestivè, & per calumniam cecinit, non taxativè, sed demonstrativè à D. Thoma fuisse adhibitum, ut de more est apud Doctores, Levissimum ergo, & falso prorsus fundamento ductus est Baroni ad dicendum: * Ex D. Thoma tunc tantum licere materiam peccati præbere, cum quis vitam invadit, & argue ab homicidio semover. * Obtrudo secundò, non nisi per summam calumniam scripsisse verba illa spongia digna: * Enormi fraude elegantissimum D. Thomæ locum tructis verbis ab Amadæo fuisse corruptum. * Cum genuinam D. Thomæ mentem Amadæus expresse rit, & nil ad rem faciens omiserit. Et quod mirabilis, ipsemet Baroni, ut à nobis exposita apertè contentit *disput. 3. sect. 2. folio 199. dum ait: Ut licere materia indifferente, unde alter peccandi occasionem arripit suo vitio: utitur què ex necessitate consulendi honori, & vitandi damna, quæ ex adulterio noto sibi imminet, & cavendi in posterum plura peccata, quibus, ni principio obstitit, serò medicina parabitur.*

8. Cum D. Thoma ubi supra sentiunt Valentia, Molina, Rebellus, & alii, quos sequitur Thomas Sanchez in *summ. lib. 1. cap. 9. num. 36.* Nec sibi contrarius est Angelicus Doctor 2. 2. *quæst. 78. artic. 4. ad 3. ubi deponentem pecuniam apud usurarium, peccati mortalis, damnat: in hoc enim loco, sermonem instituit de illo, qui absque urgente causa pecunias apud usurarium deponit: in alio vero, quando ex necessitate, ut constat ex dictis.*

9. Dico primò: numquam licet offerre occasionem uxori, eo fine, ut adulterium committat, licet ex adulterio comprobato, finis alius non consequendus speretur, & intendatur. Ratio est: hi evidens, quia intrinsecè malum est, peccatum intendere, licet simul aliter etiam finis non malus intendatur, nempe deprehensam uxorem in adulterio convincere, ut respicitur. Sic D. Thomas 4. *dist. 19. quæst. 2. art. 3. quæst. 2. ad 3. ubi licet: Non tamen debet aliqua occasio præberi, ut peccatum iteret, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona.* * Et credo esse communem Doctorem.

10. Dico secundò: numquam licet occasione peccandi non aferre, eo fine, ut proximus in peccato comprehensus respiciatur. Probat ratione conclusionis præcedentis, quæ ejusmodi omittitur, malitia etiam finis, in eam demonstrat: quia medium ad finem intentum immediate conducens, est peccatum adulterii, vel furti, quod ipsamet intentione finis, explicite, vel implicite amatur. Tum quia in estimatione moralis, non subtrahere occasionem peccandi, vel illam offerre, parum distat in malitia, cum ex virtute charitatis, aut ex alia, cui peccatum à proximo committendum contrariatur, illud evitare tenemur, si abique gravi incommodo possumus. Non autem evitat, qui peccandi occasio, cum facile possit, non auferri. Hæc conclusio est contra Sotum, Petrum de Ledsma, & alios quod Sanchez de *Matrimon. lib. 10. disput. 12. num. 52. afferens, viro suspicanti adulterium uxoris, licere non avertere adulterandi occasionem, ut eam possit, adhibere idoneis rebus, de adulterio convincere. Sed consequenter ad superius dicta tenenda mihi videtur, quia inter unum, & alterum casum non est aliud delictum, quam in uno peccatum omissionis, in alio commissionis intervenire. Quapropter Joannes Sanchez in *selectis, disput. 35. num. 1. prope medium, nullum in remoralis differentiam constituit inter occasionem, & non auferentem occasionem peccandi bono fine: id eodè Authores omnes de his loquentes ibidem confundit.**

11. Dico tertio: Quoties detrimentum aliquo momenti, ex actione indifferente, vel ex commissione timeatur, vel alia adfuerit causa sufficiens ad excusandum ab obligatione vitandi peccatum proximum, licitum cuique erit, non solum non subtrahere occasionem peccandi, sed per actus indifferentes præbere, quamvis proximus prævidetur suo vitio peccaturus. Hæc sententia abique dubio est D. Thomæ loco supra citato ex 4. 13. de malo, art. 4. ad 19. excusantis à peccato deponentem pecuniam apud usurarium, pro suo incommodo vitando. Quem sequuntur omnes Doctores præcedenti citati. Cujus rationem desumo ex P. Molina tom. 1. de *just. disp. 17. a. 1. ubi sic: Licet cooperari ad peccatum alterius, quando quod à cooperante fit, est intrinsecè malum, numquam liceat: cooperari tamen aliquando quod indifferens est de se, dicendum est licere, quia de causa, & optimo fine, est nequitia alterius ad evitandum, & peccatum ordinatur. Quibus factis Doctores afferentes, non peccare mortaliter, qui peccatum*

aliquid indifferens, quo alter jam paratus est abuti. Rodriguez, & alii apud Bonacinam tom. 2. disp. 2. de peccatis, quæst. 4. punct. 2. n. 21. Quibus consentit Vincentius Bionius ubi supra citatus, fol. 299.

12. Quæ autem sit iusta causa utendi ejusmodi materia indifferenti, seu peccandi occasionem offerendi? Respondeo, iudicio prudentis relinquendum, ut cum Valentia, Lessio, & Sanchez, tradit Bonacina supra num. 18. Hinc Christianum se Tyranno manifestantem, & offerentem, quando scit ab illo occidendum, non peccare, licet occasionem illi det homicidii, est communis Doctorum sententia, si causa iusta occurrat, ut tradit Cardinal. de Lugo tom. 1. de iust. disp. 10. sect. 1. num. 39. Hinc, si marito inurbani iuri vertatur, quod uxorem prohibeat in domum consanguineæ adire, posse ex bono fine vitandæ notæ, aditum non impedire, licet aliis amassu ad adulterium eo advocatum credat, docent viri doctissimi. Tunc enim uxoris malitia ad bonum finem uti poterit, nempe ad eam in adulterio comprehensam corrigendam. Nec id eo ejus peccatum intendere potest: sed quod prævidit futurum ex oblatione rei indifferents: ex suppositione quod committatur, (quod ipse nolle) intendit castigare, & corrigere, & peccandi occasionem radicatus evelere.

13. Unde sit, quod licet prorsus illicitum sit, occasione uxori offerre eo fine, ut adulteretur, ut diximus supra, & tradit P. Sa. verb. Peccatum, num. 7. & P. Thom. Sanchez, lib. 10. de Matrim. disput. 13. num. 53. dicens, se non videre, quæ ratione id excusari valeat: ex alio tamen fine eandem occasionem præbere, si finis talis sit, qui sufficiat ad excusandum ab obligatione vitandi peccatum proximi: non est cur peccati mortalis condemnari debeat. Confirmatur exemplo, quo utitur ipse Sanchez supra num. 52. ubi ait. Quod quando custodes nemorum se abscondunt, quo illuc euntes ingrediantur libere, solvant quæpœnam, peccatum mortale committunt, ut bene docet Medina Codice de Restitut. quæst. 12. * At excusantur (inquit) à culpa, quando eo fine se abscondunt, ut seinel deprehensi, caveant in futurum illuc redire. * Sic Sanchez pro se referens Navarrum, Cordubam, Valentiam, Navarram, Emanuelem Rodriguez, & Vegam. Quorum ratio alia esse non potest, nisi quia finis se abscondendi non est, ut alii delinquant, sed ut ex suppositione, quod nemus ingressi fuerint, comprehendantur, penamque debitam solvant. Ergo similiter si matris domus abscondat, non ut uxor adulteretur, sed ut ex suppositione, quod delinquat, de adulterio convincatur, & sic caveat in futurum, excusabitur à culpa: habet enim rationabilem causam ad uxoris peccatum non vitandum: actumque indifferenti utitur, unde uxor peccandi occasionem suo vitio arripit.

14. Dico quartò: Non licet homini peccatum alterius permittere ex fine ignominie, vel pœnæ incurrendæ, quibus delinquens melior efficiatur. Hæc conclusio est contra M. Sotum de secreto, memb. 2. quæst. 2. paulo ante 5. conclus. ubi inquirens. * An liceat, & expediat quandoque perditum hominem permittere, in pejora prolabi crimina, ut ignominia peccatorum confusus, facilius resipiscat, & emendetur? Respondet: * Licet nobis aliquando permittere, peccatorem ad tempus pejuscadere, ut cautius resurgat. * Cui ego dissentio. Moveor, quia charitas obligat, vitare peccatum proximi, dum causa rationalis non excuset: finis autem penitentia, & emendationis, quæ soli Deo nota est, qui su-

tura contigens conditionata cognoscit, non est homini ad permissionem causa sufficiens: forsitan enim proximus infamatus, vel in delicto comprehensus, pejor evadet. Præterquam quod si intentio hujus finis excusare sufficeret, quivis ejus prætextu à vitando peccato alieno se eximere posset, de proximo frequenter iudicans peccati ignominia confusum facilius emendandum.

15. Adde, plures Theologos illicitum omnino reputare, permittere peccatum ex intentione penitentia: idèquè ejusmodi permissionem Deo esse impossibile: nam qui vult efficaciter finem, eadem voluntate vult media, sine quibus obtineri nequit: penitentia autem absque peccato esse non potest. Quod Deum velle, impossibile est: Ergo cum ignominia, vel pœna propter peccatum incurrenda illud negariarid supponant, qui peccatum ex ejusmodi fine consequendo permittat, neque bit non ipsum, met peccatum velle, quod illicitum prorsus est. Præterquam quod rarissimè licet homini peccatum proximi permittere ex quocumque alio fine, ut bene notat Petrus de Navarra lib. 3. de Restit. cap. 4. num. 127. * Non enim (inquit) sicut Deus, ira & homo: ille enim obviare peccatis minime tenetur, iste tenetur. *

16. Hujus quæstionis occasione rogat Sanchez ubi supra, num. 54. Num liceat viro, pactum cum uxore inire, ut amasio ejus castitatem violare tentanti conniveat, concedens tempus, & locum, non ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehendatur: id culpa vacare, docent plures, teste Sanchez ibidem, & ex dictis supra conclusione tertia, necessaria consequatione videtur deduci, quia finis offerentis tempus, & locum, non est peccatum adulterii. Cæterum fundamentum, quo in quarta conclusione utimur, contrarium evincit: nam in crimine deprehendi, essentialiter involvit ipsum crimen: ergo qui efficaciter intendit, ut proximus in crimine deprehendatur, verè intendit peccatum illius: quod prorsus illicitum est. Ut omitam, verba illa conniventia in communi estimatione esse veram inductionem ad peccatum, & in his circumstantiis non esse indifferentia, sed determinata ad significandum consensum in adulterium: quæ proinde graviter ad luxuriam amasium provocant, & illam deperire faciunt: atque adeò à malitia denudari nequeunt.

QVÆSTIO IV.

An divites Laici teneantur erogare proximo eleemosynam de superfluo?

§. I.

Quid in communibus pauperum necessitatibus?

1. **A**D hujus quæstionis enodationem præmittendum est primo. Triplicem considerari posse necessitatem. Aliam extremam, nempe, quando mortis periculum imminet, aut probabiliter timetur. Aliam gravem, cum aliquod incommodum notabile, ut periculum probabile incidendi in gra-